

Kreis  
teinfurt

S 263

1292 Oktober 18.

[35  
263

Propst, Priorissin und Konvent von Bietmarschen ordnen Memorien an für die Wohlthäter, welche zu den Kosten der Rodung für den Südhof bei dem Kloster beigetragen haben.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Nos Wernherus divina miseratione prepositus, Conegundis priorissa totumque capituli collegium in Rode sancte Marie notum facimus omnibus nosse cupientibus, quod nos circa structuram domus nostre in australi parte cenobii nostri site cum in edificiis tum in aqueductu tum in novalibus, fossis et fossatis cum magno et diuturno labore ad culturam redactis viginti marcas et unam a fidelibus et benefactoribus ecclesie nostre receptas et collectas et circa multiplicem laborem predictae domus, que vulgariter Sudhof dicitur, fiducialiter expendimus. Pro qua summa pecunie ut iam dictorum benefactorum apud nos memoria perhennis habeatur, ordinavimus et ordinamus et presenti scripto cum appensione sigilli ecclesie nostre unanimi consensu firmissime constituimus et confirmamus, ut de quarto manipulo iam diete domus quatuor malt siliginis secundum mensuram in Linge ad consolationem cenobitarum fideliter sequestrentur, ut cum uno malt in festo Pasche, cum altero in ascensione Domini, cum tertio in Penthecostes, cum quarto in festivitate omnium Sanctorum in pane triticeo serviatur. Et ne hec ordinacio nostra ab aliquibus successoribus nostris ausu temerario in posterum infringatur, rogavimus nobilem virum Ecbertum comitem, ut sigilli sui munimine hoc factum nostrum dignaretur roborare. Actum anno Domini M<sup>o</sup>cc<sup>o</sup> nonagesimo secundo, in festo Luce ewangeliste.

Orig. 2 Siegel ab. IX. Rep. I. 46.